

Archangeli, S. Josephi Virginis Sponsi, Sanctorum Petri et Pauli Apostolorum, S. Joannis Evangelistæ et S. Francisci Asisiensis festivitatis, a medietate diei præcedentis ad mediam usque noctem festi respectivi, publicum quodvis templum sive sacellum, uti superius diximus, preces fundentes, celebrent quo die iniuncta pietatis opera impleant, etiam plenariam; nec, non sociis ipsis, qui per solidum mensem, uti supra diximus, se reliquis cogitatione sociaverint, recitantes invocationem *Fiat pax in virtute tua*, unoque ad lubitum die mensis illius, item poenitentes et confessi ac S. Communionem refecti, quamvis Ecclesiam sive Cappellam celebrent, ibique, ut supra, orent, similiter plenariam; tandem sociis memoratis, in Foedus enunciatum nunc, et in posterum adlectis, in cujuslibet eorum mortis articulo, si, pariter admissorum sacramentali confessione expiati ac cælestibus epulis recreati, vel, quatenus id agere nequiverint, nomen Jesu ore, si potuerint, sin minus corde, devote invocaverint, et mortem, tanquam peccati stipendium, dimisso animo susceperint, pariter plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus atque indulgemus. Porro largimur, sodalibus ipsis, si malint, liceat, excepta plenaria in mortis articulo lucranda Indulgentia, reliquis omnibus tam plenariis quam partialibus indulgentiis functorum vita labes poenasque expiare. Contrariis non obstantibus quibuscunque. Præsentibus perpetuis futuris valituris. Volumus autem, ut præsentium Litterarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, ac sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die IX mensis Junii anno MCMXX. Pontificatus nostri sexto.

L. † S.

P. CARD. GASPARRI, a Secretis Status.